

## APPENDIX II

### *HUMANI GENERIS INIMICUS* (1449) BY POPE NICHOLAS V

Nicolaus, Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam:

Humani generis inimicus, illico quo verbum Dei cadere in bonam terram conspexit, operam dedit seminare zizaniam, ut, conculcato semine, nullum fructum produceret; prout vas electionis, Paulus apostolus, precipuus huius zizanie extirpator, refert quod in initio inter conversos ad fidem differentia antelationis exorta est, Iudeis cum gentilibus de prelatione certantibus, aliis aliter in Dei Ecclesiam scisuram inducere cupientibus, cum alii Cephae, alii Apollinis esse certarent; Redemptor noster hec providens, ab initio nascentis Ecclesie ordinavit: qui huiusmodi zizaniam extirparent, humanaque imbecillitate peccantibus aut laxis occurrerent; prout ipse Apostolus ad Romanos scribens, omne huius antelationis dissidium divinis verbis evertit; atque Petrus, apostolorum princeps, in singulis diocesibus ordinatis episcopis, omnem schismatum occasionem submovit. Nos, Redemptoris nostri exemplo, cuius vice ad huiusmodi potissime tollenda dissidia, locum, licet inmeriti, tenemus in terris, prefatorum exemplis edocti, omni vigili cura compellimur operam dare ut his, qui inter fideles possent aliquam divisionem parere, nostri pontificalis officii auctoritate occurramus, ut inter fideles caritas, amor ac unitas vigeat. Nihil enim est quod tam inter fideles conveniat quam quod in omnibus sit velle unum, inquit Apostolo: sicut enim corpus unum est et membra multa habet, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum corpus sunt, ita et Christus; etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudei sive gentiles, sive servi, sive liberi; omnes in uno spiritu potati sumus; unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in unam spem vocationis vestre. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium. Percepimus quosdam novos zizanie seminatores, affectantes huius unitatis et pacis, fidei nostre salutare fundamentum corrumpere; ac, quod per vas electionis apostolum Paulum extirpatum fuerat, dissidium, in diversis partibus, maxime in regnis carissimo filio nostro Ioanni, Castelle et Legionis regi illustri, subiectis, renovare; ausu temerario asserere quod qui, aut

ex gentilitate aut ex iudaismo, aut ex alio quovis errore christiane fidei veritatem cognoverunt et baptizati sunt, et, quod gravius est, eorum filios, propter novam assumptionem fidei non debere ad honores, dignitates, officia, tabellionatus et ad testimonium in chisticolarum causis perhibendum admitti; eos verbis et factis contumeliis afficientes; que, cum a Redemptoris nostri institutis aliena sint, eodem apostolo Paulo testante, cum dicit: Gloria et honor et pax omni operanti bonum, Iudeo et Greco; non est enim acceptio personarum apud Deum; et: Omnis qui credit in illum non confundetur; non enim est distinctio Iudei et Greci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum; et alibi: In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec preputium, sed fides que per caritatem operatur. Hos, ut a veritate fidei catholice aberrantes, ad viam veritatis deducere, et quatenus qui in premissis excesserint, animadvertere cupientes, cum non tam auctoritatibus premissis divinis contradicant, sed et illustrium principum quondam Alphonsi, Sapientis cognominati, et Henrici, et carissimi filii nostri Ioannis moderni, Castelle et Legionis regum, pro fidei augmento perpetuis sanctionibus authenticis litteris eorum sigillis munitis, gravibus penis vallatis, et per nos visis et mature discussis, quibus sanxerunt ut inter noviter conversos ad fidem, maxime de populo israelitico, et antiquos christianos, nulla in honoribus, dignitatibus, officiis tam ecclesiasticis quam secularibus suscipiendis et habendis discretio fieret; ac affectantes, ut quisque que recta sunt sapiat; et qui, contra christiane legis normam, falsa seminare et proximos scandalizare, que unitatis et pacis contraria sunt presumpsere, debitis penis affecti, eorum errores agnoscant; prefatorum principum ordinationes et decreta, ut iuri et sacris canonibus conformia, super his edita, ex nostro proprio motu et certa scientia approbamus, confirmamus et apostolice auctoritatis munimine roboramus, ac omnibus et singulis cuiuscumque status, gradus aut conditionis fuerint, ecclesiasticis et secularibus, sub excommunicationis pena mandamus ut omnes et singulos ad christianam fidem conversos aut in futurum convertendos, seu ex gentilitate vel iudaismo aut ex quavis secta venerint aut venire contigerit, ac eorum posteros tam ecclesiasticos quam seculares, catholice et secundum quod decet christianum viventes, ad omnes dignitates, honores officia, tabellionatus, testium depositiones, et ad omnia alia, ad que alii christiani quantumcumque antiqui admitti solent, admittant; nec propter fidei novam receptionem, inter eos et alios christianos discretionem faciant, nec verbis aut facto contumeliis afficiant, nec affici permittant, sed omni eorum possibilitate contradicant et oppo-